Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

35.–181.

DA-BOX

LN 688
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ORATIO FV-
NEBRIS

In Memoriam & honorem Illuſtriſsimi Principis ac Domini:

DN. FRIDERICI SECVNDI, DANIÆ ET

Norvvegiæ Regis, Prid. Non. Apr. ex hâc vitâ piè & placidè decedentis:

In celeberrimâ VVitebergenſium Academiâ Non. Iun. An. cIↄ. Iↄ. XIIC. recitata ab

Iſaaco Gronbeccio Dano.

VVITEBERGÆ

Excuſa per Clementem Schleichium.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ILLVSTRISSI-
MO PRINCIPI Ac
DOMINO:

Dn. Chriſtiano:

Duci Saxoniæ: Sacri Rom.
Imp. Archimarſchallo &
Electori &c. Domino ſuo
clementiſsimo.

S. P.

N*ON dubium eſt, illuſtriſsime Princeps, Domine clementiſsime: qvin multorum animos turbet et dejiciat, de ſtatu præſentis anni octoageſimi octavi, à doctis viris*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ris profectarum prædictionum
cogitatio: eoq́; magis angat, quò
finem ſeculi propediè m ingrue-
re, & periodum rerum morta-
lium penè circumactam eſſe, ve-
riùs ſtatuant et intellegant. Ete-
nim videntur pii et cordati ferè
omnes, συνοχὴν iſtam ἐν ἀπορίᾳ,
cujus meminit ſalvator Luc.
21. adeò exactè in hujus anni
tranſcurſum rejeciſſe: ut non
dubitent, eum ipſum, vel toti
terrarum orbi everſionem: vel
præcipuis imperiis & regnis,
motus et mutationes maximas
& evidentes importaturum:
Hinc fit, ut magnarum cladium
triſtiſsimorumq́; eventorum
metus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

metus, adeò pertinacitèr menti-
bus mortalium ſe inſinuet; ut
conjiciam ab ultimâ illà populi
Judaici deletione, politiæq; ejus-
dem πανολεθρίας, nihil tàm acci-
diſſe inopinatum, tàm lugubre,
tamq; avditu avt aſpectu inju-
cundum: qvod tantum incuſſe-
rit vulgo terrorem: atq; de
hujus anni eventis, prædivina-
tiones notationesq; Aſtrologicæ:
DEO ſoli ad ungvem cognitæ:
hominibus partim obſcuræ, par-
tim dubiæ.

Qvanvis avtem ejuſmodi
judicia & indicia metuere,
Chriſtianos decere non putem:
cùm nec planè neceſſaria ſint,

neq; omni ex parte ἀξιώπιστα καὶ ἀμε-
τακίνητα: qvòd ex cauſsis ſecun-
dis, qvæ ſuâ naturâ mutabiles,
vagæ & inconſtantes, (niſi qva-
tenus Deo rectore gubernentur)
fluant & promanent; percellunt
tamen animos noſtros, & in di-
verſas partes trahunt, qvæ ocu-
lis obverſantur præſagiorum
eventa, nimiùm funeſta & fa-
talia: qvæ dubio procul monent,
non oſcitantèr neq; ſupinè, ad
μαντείας, vel rectius θεοσημίας, ab
eruditis hoc noſtro ſeculo viris
in lucem prolatas, reſpicien-
dum: & de earundem effectis,
qvæ præ foribus eſſe creduntur,
cogitationem & curam paullò
accu-

accuratiorem ſuſcipiendam.

Non ego qvenqvam credam tàm durum, tàm ferreum, niſi qvi hominem planè exſuit, humanaq́; omnia à ſe eſſe aliena putavit: qvi iis non moveatur, avt ſaltèm leviter tangatur: præcipuè Heroum & Principum mortibus, immaturis nimiùm, & præproperis. Luget fidelis ſervus domini ſui, qvem vivum reverebatur, fortunam acerbiorem, avt injuriam, avt obitum; videt enim, ipſo occumbente, rei familiaris negotium, in ſummo verſari diſcrimine: & paullatim ad interitum prolabi & deſcendere. Qvis

non meritò afficeretur boni ma-
giſtratus & pii Principis fato
extremo? qvod non uni fami-
liæ, foro, urbi: ſed toti regioni
damnoſum, ne dicam exitioſum
eſſe, omnes intellegunt, avt in-
tellegere ſanè debent. Longâ
enim ſapientum experientiâ ob-
ſervatum eſt: piorum Princi-
pum & Regum obitus, rebu-
ſpub. benè conſtitutis, ſæpiſſimè
detrimento fuiſſe, nunq̃ profuiſ-
ſe: cùm ſint qvaſi προμαντεύματα
qvædam futurarum mutatio-
num in imperiis & politiis: &
præludia aliarum impẽdentium
ex occulto DEI judicio pœna-
rum & calamitatum: qvas ut
pluri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

plurimùm ſubditi parùm relligioſi (qvorum in hâc mundi fece noviſſimâ infinitus eſt numerus) effrænatâ peccandi licentiâ, & ingratitudine odioſâ ſibi accerſere ſolent.

Hinc eſt, qvòd ſedulò & ſeriò, pro ſalute Regum & Principum, ex præſcripto verbi divini, vota faciamus; Iis enim florentibus, floret reſpublica: & relligioni, paci, juſtitiæ, incolumitatiq; civium, optimè conſultũ iri nemo dubitavit. Hinc eſt, qvòd implacabili qvodam mœrore contorqveamur: ubi providentiæ Divinæ conſtantiſſimâ lege eos eripi nobis, & per-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

actâ ſtatione tàm arduâ, qvam ſtrenuè in vitâ tutati ſunt, intra cœleſtis patriæ pomœria vocari & recipi contingat. Hinc etiam eſt, qvòd ex piæ antiqvitatis inſtitutione, nominis eorundem, rerumq́ celebriter geſtarum, incorrupta celebretur apud poſteros memoria; tùm ut gratitudinis noſtræ affectum erga defunctos Principes teſtemur: nosq́ eorum graviſsimo teneri deſiderio declaremus; tùm etiam, ut aliis, qvibus magiſtratus nomen ſacrum eſt, qviq́ ad ejuſmodi munus, difficile mehercule & divinum, adſpirant, calcaria addamus, ad verè Heroicas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

roicas & Regias virtutes amplectendas: qvarum adminiculo, dolor animis civium eripitur, metus excutitur, ſpes bona commodi publici tuendi & promovendi reducitur.

Hæc cùm ſapiens qvilibet perſpiciat probetq́ʒ: cui mirum videri debet, Danicam gentem, propter amiſſum pientiſſimum & mitiſſimum Regem, FRIDERICVM II. ſe luctui & mœrori acerbiſſimo, non leviter tradidiſſe, ſed totam immerſiſſe? Certè qvidem, fuit hic beatiſſimus Rex verè ſpeculum et exemplar piorum Regum & Principum: neqʒ ſolum

con-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

conveniebat in eum, quod de Antonino Philoſopho Imperatore dictum fuit: ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο, καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη, οὕτως ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς ἀνὴρ ἦν, καὶ οὐδὲν προσποιητὸν εἶχε; *verùm etiam optimo jure, illud Ecphantæ Pythagorei, de officio Regis:* βασιλεὺς καλέεται ὁ ταύταν ἔχων φιλίαν τε καὶ κοινωνίαν ποτὶ τῶς ὑπὸ αὐτὸν: ἅν περ ὁ Θεὸς ἔχει ποτί τε τὸν κόσμον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ.

Meritò itaq; tantò eſt luctus gravior; quantò fuit in Rege pietas eximior, & caritas erga patriam admirabilior. Sed cùm bonum amiſſum, neq; gemitu & ſuſpiriis revocari poſſit: neq; lacrumis redimi; audiamus

diamus et ſeqvamur conſilium Chærondæ Catanæi: qvi manes illuſtrium virorum, honore & reverentiâ, οὐ δακρύοις, οὐδὲ οἴκτοις ἀλλὰ μνήμῃ ἀγαθῇ proſeqvi jubet. Qvidqvid enim reſtat pietatis, gratiæ, officii, benè meritis fato defunctis ſolvendum: id ſolius Mnemoſynes beneficio perficitur totum, ut cecinit qvondam Lyricus. At memoriam beatiſsimi Regis oratione recolere, relligioſum officium: certè juſtum & debitum: ſed triſte, mæſtum, lacrumoſum: & plus gemitus qvàm gaudii præ ſe ferens; nihilominùs amoris & pietatis cauſsâ, curandum &

ſer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ſervandum, etiam invitis.

Hoc ipſum, mihi, extra ſolum patrium conſtituto, et alienam glebam prementi, cùm lege pietatis & gratitudinis incumbere adnimadverterem: facere non potui, qvin beatiſsimæ memoriæ, Regis FRIDERICI II. exſeqvias, eodem qvo celebrabantur in patriâ die, in celeberrimâ hâc ſcholâ qvalicunqve oratione decorarem & exornarem. Eam orationem, ut à me habita fuit, ad T. Celſ. mitto, Princeps illuſtriſsime: non impudenti qvâdam avdaciâ, neqꝫ conſilio impræmeditato & temerario perſvaſus: ſed hâc non

levi-

leviculâ adductus ratione. Scio enim Ill. T. C. non modò Regis FRIDERICI avunculi obitum gravitèr & moleſtè ferre; verùm etiam afflictiſsimis Danis & Norvvegis, ex animo condolere: qvibus funere Regis, qvem pluris qvàm fortunas, vitam et ſalutem propriam faciebant, nihil triſtius, luctuoſius, acerbius unq̃ contigit, avt in vitâ contingere potuit. Qvo nomine injurius & iniqvus planè viderer: ſi conſolatione (modò ex oratione hâc, manare et havriri aliqva poſsit,) C. T. fravdarem: qvæ in tàm gravi vulnere vicinorum populorum,

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

non levitèr neq; diſsimulantèr ſibi dolendum eſſe, piè & humanitèr indicavit. Det Deus Opt. Max. ut plagæ tàm recenti, ſed graviſsimæ & pænè inſanabili, remedium & allevamentũ efficax et ſalutare, oportunè quæratur & reperiatur.

Huic Deo, uni, trino, ex animo ſupplico: ut Ill. T. C. Germaniæ columen & firmamentum præcipuum, quàm diutiſſimè florentiſsimum & ſuperſtitem ſervet: ad Divini nominis ſui gloriam immortalem: & eccleſiæ ſeneſcentis & afflictæ emolumentum, & præſidium firmiſsimum, fortiſsimum, Amen.

C. T.

Subjectiſs.

Iſaac Gronbeccius
Danus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

SI NVLLA EVIDENtior exſtaret in ſacris literis, de lubricitate, inconſtantiâ & mutabilitate humanarum rerum commonefactio: proponerem vobis auditores Illuſtriſsimi, Clariſsimi, Nobiliſsimi, humaniſsimi, γνώμην hanc ἐπιφωνηματικὴν Glauci illius Homerici Diomedem alloquentis, apud animum expendendam & dijudicandam.

Οἵη περ (*inquit*) φύλλων γενεὴ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν

Qvale foliorum genus: tale & virorum.

Qvamuis non inficias eam, hanc Homeri vitæ ſortisq; humanæ, cum foliis arborum naſcentibus, & ad motum levis auræ ſubitò cadentibus, veram eſſe & cõmodè excogitatam comparationem; nemo tamen noſtrum ignorare debet: Philoſophicis & Ethnicis ejuſmodi Dogmatis, præferenda eſſe S. Sancti teſtimonia veraciſsima & clariſsima : quæ non ſunt flexiloquæ Apollinis nugæ: non ambiguæ obſcuræq; prædictiones Aſtrologo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

rum neq; falſæ & nimiùm ſuperſtitioſæ ſuperſtitioſorum augurum & hariolorũ vaticinationes; ſed oracula Dei immota & irrefragabilia: tùm de rebus aliis, ſalutem animæ concernentibus: tùm de vitæ hominis ortu, incremento, ſtatu, declinatione, fine, ſeu exitu; quorum ne meminerunt ſemel pagellæ iſtæ Philoſophicæ: aut ſi meminerunt qvidem: ita frigidè illa attigerunt; ut, cùm aliis ad tàm altas, tàm nervoſas, tamq; ſcrupuloſas humano acumini res intelligendas, lucernam ſe accendere putârint: ipſi in denſiſsimis & plusqvam Cimmeriis verſati ſint tenebris; è qvibus in veram illuſtremq; illam & cæleſtem lucem, nullis, vel perpavcis, ductum rationis erroneæ, & mentis non renatæ perſuaſionem ſequentibus, prodire feliciter contigit.

Nemo, inqvam, ignorare debet, mortalis ſapientiæ umbris evanidis, anteferendam immortalis ſcientiæ verbi divini lucem gratiſsimam: qvòd & ſolidam eventuum humanorum, indubitatamq; præ-

prænunciet cognitionem: & earum qvæ in vitâ conſpiciuntur mutationum, maximè crucis, calamitatum, morborum, mortis deniq; cauſſas, immenſâ & inenarrabili Dei miſericordiâ & bonitate patefactas, afferat & exponat.

Ejus lucis ſcintillula quædam nitidior eſt Pſal. 90. qvi de breuitate & miſeriâ vitæ præſentis totus ferè qveritur: pœnamq; labis congenitæ luiſq; adhærentis eſſe docet. Facis (inquit) diffluere homines ſicut nimbum: ſomnium ſunt: ſicut gramen qvod ſubitò exareſcit; Qvod manè floret, & mutatur veſperi: excidītur & areſcit. Dies noſtri declinauerunt propter iram tuam: conſumimus annos noſtros tanquam ſermonem. Dies annorum noſtrorum qvibus vivimus ſeptuaginta anni: & fortitudo eorum perverſitas & iniqvitas, qvoniam recedit citò & avolamus &c.

Qvæ qvàm ſint vera, qvamq; infallibili nitantur certitudine: evincunt perpetua omnium ætatum exempla: & ex-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

perientia qvotidiana planum facit. Quid enim nobis, ex qvo primum in lucem prodimus, in totâ vitâ ſtabile & fixum? qvid jucundum ſimul & durabile? qvid optatum & in noſtrâ poteſtate poſitum? qvid ex voto nobis donatum & diuturnum?

Infantia noſtra vagitibus, & lacrumis puerilibus, iisq; magnis & aſsiduis referſiſsima; in qvâ neſcio an ipſa bruta nobis feliciora jure qvis pronunciauerit? Iis licet ſit denegata rationis uſura; ſic tamen à naturâ inſtituta ſunt, vt ad paſtum qværendum cum primis ſint habilia: & ad propellendam frigoris tempeſtatumq; injuriam non planè incompoſita; cùm intereà infanti, homini nihilo minus, qvem à beſtiis ratio diſcreuit, omnia hæc prohibita & prærepta videantur.

Infantiam pueritiamq; excipit ætas juvenilis; quæ præterqvam qvod infinitis errorum turbulentorum inſcitiæq; ſummæ tenebris ſit inuoluta: affectuum pernicioſorum pravitati ſic indulget: ſic deteſtandarum libidinum voluptatumq;

ſpur-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ſpurciſsimarum illecebris capitur & illaqueatur: ſic efferveſcentis iracundiæ & agreſtis inhumanæq́; feritatis flammis incenditur & agitatur; ut excuſſo diſciplinæ jugo, & rejecto poſt terga pudore, qvi hanc ætatem decorare ſolet: furenti beſtiæ, qvàm homini mente prædito ſimilior reddatur.

Succedit tertia ætas, virilis nimirum: in quâ vt robur, vires & augmentatio corporis, ad ἀκμὴν pervenerunt: ita animum ſuam quandam qvaſi perfectionem adeptam eſſe credimus. Ideoq́; ſe præparant viri ad munerum grauiorum, partim privatorum, partim publicorum adminiſtrationem; hic ad gubernandam rempublicam: alter tuendam rem familiarem, pro ut qviſq; inſtructus naturâ vel arte imbutus videtur, animum adjicit. Sed (Deum immortalem) qvotus qviſq; noſtrum eſt, cui non tùm in propriis rebus diſponendis, tùm in aliorum negotiis promovendis, plura delira ſomnia, quàm ſana conſilia excidant: aut planè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

obvia ſint. Quàm ſæpè optimè præmeditata, & ad communem ſalutem ſtudioſè directa, peſsimè cadant. ut præſtet ut plurimùm vulgò fatuum audire, quàm prudentibus viris imprudenter connumerari.

Reliqua eſt ſenectus: quæ non modò virium & roboris diminutioni, & morborum acceſsioni magis eſt obnoxia: verùm etiam rationis, ingenii & memoriæ deliqvium pati cogitur; donec denuò ad ſimilem primæ ætati ſtatum deturbatus homo fuerit: qvem tandem, circumactâ vitæ periodo, mors noviſsimus hoſtis excipiens: vitã claudit: & in vitâ viciſsitudinibus omnibus finem imponit.

Atq; hic eſt vitæ humanæ circulus, qvi, licet ſibi undiq; cohærere & continuus eſſe videatur; tot tamen morborum, paupertatis, exſiliorum, perturbationum, injuriarum, dolorum & calamitatum ſibi invicem ſuccedentium interciſionibus, eſt interruptus: ut Labyrinthum potius inextricabilem, tot perplexis parietibus in-

tor-

tortū, tot anfractibus flexuoſis intricatū, quàm circulum æqvabilem haud temerè dixeris. Niſi ſic appellandum cenſes cum Cræſo: ὁ δὲ περιφερόμενος, οὐκ ἐᾷ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν, qvia rotatus, ſemper eoſdem beatos eſſe non ſinit. Quæ omnia per ſe qvidem dura & aſpera, hominiq́; ſupra qvàm dici & credi poteſt moleſta, tollerabiliora viderentur & leniora forent: ſi certam aliqvam hominis ætatem, ab incurſione & inſultu mortis liberam & immunem eſſe conſtaret. Sed cum neq; infans unius diei, reliqvum ſibi horæ ſpacium polliceri poſsit: nec juvenis qvoq; armis mortem propulſare: neq; vir ætatis conſiſtentis, aſtu & conſiliorum calliditate effugere: nec deniq; decrepitus medicinâ & aromatis eidem acceſſum prohibere; eò redit, ut acerbior vita reddatur: & βίος, οὐ βίος ἀλλὰ ξυμφορὰ (ut indigitavit ille) καὶ βία, vita hæc non vita ſit, ſed calamitas & violentia: & vitale hoc corpus, qvod animæ eſt vehiculum, non tam δέμας qvam δεσμός, meritò appelletur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Qvi in ſcholâ Chriſti fideliter inſtituti, ipſiq; per fidem vividam inſiti ſunt: modeſtius, ut par eſt, hanc rerum humanarum viciſsitudinem ferunt: fortiusq; & animo intrepido, tàm acerrimis tàmq; cruentis tot inimicorum telis, qvibus à primo exortu expoſita eſt vita mortalium ſe opponunt; ſeq; hâc conſolatione erigunt: tùm qvòd ſciant ex divinâ providentiâ rerum omnium moderatrice hæc proficiſci: neq; Deum temerè permittere Diabolo, vt ſine cauſsâ in genus humanum ſæuiat & graſſetur: ſed juſtum Dominum, & rectum judicium ejus: tùm etiam, qvòd non dubitent, eos qvi diligunt Dominum, omnia ſimul adjuvare in bonum. Deplorant tamen intereà veris gemitibus communem ſortem: tantarumq; difficultatum cauſſam unicè deteſtantur & exſecrantur; præcipuè cùm pios cruce & calamitatibus affligi, & inhumanius premi vident: impiorum, qvi terreſtria curant, & quorum Deus venter eſt, rebus florentibus & in

tran-

tranquillo conſtitutis; maximè verò, cùm ſanctiſsimos & beatiſsimos viros, qvi Eccleſiam in terris fluctuantem, & invidiâ Diaboli & Tyrannorum odio, pænè oppreſſam & conculcatam rexerint, & ceu boni nutritores foverint, è vitâ excedere audiunt: qvorum diſceſſum cum ingenti damno, & irrecuperabili jacturâ Eccleſiæ & reipub. conjunctum eſſe, aut animadvertunt propediem, aut metuentes conjiciunt.

Cæteros qvos dixi, parum tangit & angit publici boni amiſsio, aut communis mali, tàm impendentis quàm præſentis timor & exſpectatio. Dummodò ſuis deliciis perfrui, iiſq; animos inficere: dùm voluptatibus inanibus & obſcœnis diffluere: dum honorum, qvovis vento leviorum, ſectari aucupia, ventriq; inſervire liceat; qvanta ruina urbibus & imperiis, qvantaq; clades omnibus ſtatibus ex Heroum & Principum piiſsimorum obitu ingruat, vel nihil planè conſiderant: vel leviter & jeiunè admodùm perpendunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Eos tanquam catharmata & rejectamenta hominum, & fæcem vulgi abjectiſsimam facile miſſos facio. Sunt enim filii auguratricis, ſemen adulteri, qvorum mater fornicata eſt: de qvibus vnà nobiſcum qveritur Spiritus S. apud Prophetam: Iuſtus perit & non eſt qvi ponat ſuper cor, & viri miſericordes congregantur ad populum ſuum, nec eſt qvi intelligat qvòd propter malum venturum congregatur juſtus ille.

Exempla tàm afflictæ ſortis, vobis innotuerunt proximis annis, partim domeſtica, partim aliena: qvæ ſi vobis in memoriã revoco: vereor ne vulnus qvod accepiſtis denuó refricem, voſq; in priſtinũ luctum vocem. Eorum quamvis animis noſtris, etiamnum mœſta nimiùm obverſetur recordatio: ſingulisq; in votis ſit, ſalutaria tanti mœroris experiri medicamenta; renovant tamen nobis luctum priorem, veteremq; mœſticiam conduplicant & adaugent præſentis diei acta; qvo in florentiſsimo Regno Daniæ, funeris ſereniſsi-

niſsimi & beatiſs. Regis *FRIDERICI* ſecundi, Pridie Nonarum Aprilis piè & placidè ex hac vitâ [illegible] is exſeqvias ingenti cum animorum commotione, & lacrumis aſsiduis, incolæ totius regni, relligiosè & ſolenniter proſeqvuntur. Ejus beatiſsimos manes, cùm oratione incultâ quidem, ſed doloris & pietatis plenâ, decorare in animum inducerem: vos auditores clariſsimi, ut affectum amoris veſtri, erga luctuoſiſsimam gentem, teſtatum faceretis, lubentes conveniſtis.

Sed qvid hæc mea oratio, qvam inſtituo, ad tanti principis laudes decantandas momenti afferet? qvippè cujus pietas & virtus, omnium verborum & ſententiarum menſuram excedant: univerſum qvoq; cogitationum mare immenſum & profundiſsimum ſuperent. At num debent qvi magna præſtare neqveunt, parva negligere? Certè qvi in rebus majoribus uſui eſſe non poſſunt: ob id in levioribus officiis, ad ipſorum, qvos in vita relligiosè obſervarunt, memoriam aut conſervan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ſervandam, aut renovandam, collocandis, diligentiam remittere non debent: cùm in omni genere officii, pluris animi voluntas, qvàm ſuſcepti muneris amplitudo & magnitudo facienda ſit: cumq; (ut ait Tullius) honeſtum ſit prima ſeqventem in ſecundis tertiisq; conſiſtere. Me autem in hunc locum deduxit, non confidentia ingenii, non perſvaſio doctrinæ, non temeritas impræmeditati conſilii; ſed pietas relligioſa erga parentem patriæ dulciſsimæ: ſed gratitudo erga principem: ſed dolor ob amiſſum Regem, non fictus, neq; tolleratu facilis: ſed ſpes non tàm mei erigendi, qvàm animos popopularium cæterorumq; qvi noſtram & patriæ afflictiſsimæ vicem dolent confirmandi gratiſsima. Hæc ſpes qvamvis pænè occidiſſe, omneſq; nos in tanto ſqvalore miſerè abjectos deſeruiſſe videatur: redintegrandam tamen, & anxiis noſtris mentibus reducendam non dubito: ſi pietatem admirabilem, & incredibile non ſolum in amplectendâ: verumetiam

in

in propagandâ tuendâ & ardentiſsimo cum animi zelo defendendâ orthodoxæ & ſinceræ religionis doctrinâ, ſtudium demortui & beati Regis vobis & mihi ante oculos & animum propoſuero. Multæ qvidẽ, fateor, et magnæ ſunt tanti Regis virtutes, juſtitia, fortitudo, prudentia, humanitas, munificentia, omnes regiæ: qvarum ſingulæ diligentiſsimam, immò Regiam merentur commendationem. Sed qvia neq; hujus loci eſt de ſingulis verba facere: neq; una oratio omnes complecti qveat: cumq́; nihil Regiæ dignitati majus afferat ornamentum, qvàm timor Dei: ſatis mihi ipſe & vobis facturus ſum: ſi de pietate ejuſdem, virtutum primâ & præſtantiſsimâ balbutiens dixero; qvo futurum ſpero: ut dolorem qvi animos noſtros tenet: aut abſtergendum, aut ſaltem mediocri ex parte minuendum molliendumq́; nobis perſvadeamus.

Ad demonſtrandam vobis, & tanquam in accuratâ tabellâ oculis ſubjiciendam,

beatiſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

beatiſsimi Regis pietatem eximiam, & in ſalute tùm ſubditorum, tùm reliquorum quibus animaduertit verbum Dei ſincerum curæ eſſe, promovendâ flagrans deſiderium: gemini temporis rationem habendam operæ pretium videtur. Prius anteceſsit adminiſtrationem Regnorum Daniæ & Norvvegiæ: poſterius cum ipſâ gubernatione inceptum eſt felicitèr, & transactum placidè. Prius quod attinet, veriſsimè à ſapientibus viris dictum eſt: Non ſolum quid actum ſit conſiderandum: verum potius quo tempore quove loco quid agatur circumſpectè dijudicandum. Magna enim ſunt, (ut inquit ille) in repub. temporum momenta: multumq; intereſt: idem illud, vtrum antè an pòſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur.

Si enim Aſtrologiæ judiciariæ peritis in confeſſo eſt: plurimum rationis habere, ad ſalutem, ad robur & virium firmitudinem, ad divitias, ad religionem, tempus, quo quiſq; in lucem editus, vitales

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

tales auras haurire ceperit; Si etiam ipſo Socrate teſte, magnum conſtet eſſe locorum ad ferendos meliores pejoresve homines diſcrimen: (quandoquidem alii propter ventorum diverſitatem, & æſtus involutos atq; perplexos, importunis ſunt atq; inconditis, moribus, alii propter aquas, alii propter alimenta, quæ ex terrâ non ſolùm corporibus commoda aut incõmoda naſcuntur, verùm animis quoq; non minus:) quis veſtrum dubitat ad pietatem *FRIDERICI* ſecundi cõmendandam, temporis nativitatis, & patriæ utilem fore recordationem?

Cum itaq; felicibus auſpiciis ederetur in lucem Rex beatiſsimus anno Epochæ Christianæ 1534. ceptæ fuerunt in plæriſq; Eccleſiis Cymbricæ Cherſoneſi detegi Antichriſti Romani præſtigiæ: quibus non tantum Italiæ & imperio Germanico, verumetiam remotioribus verſus Arcton locis, oculos atq; animos multis annis faſcinaverat. Suſcitati fuerunt tum temporis in Daniâ divinitus,

vinitus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

vinitus, nonnulli pii & eruditi viri, qui cæleſtis doctrinæ repurgatam reſtauratamq́; cognitionem, à reverendo & æternâ memoriâ digno, Domino Luthero, in hâc Scholâ traditam & acceptam, ſtudioſè & conſtanter diſſeminârunt, propagârunt & intrepidè tutati ſunt. Quo circà divinâ clementiâ annuente, facilè occaſio omnis ſublata fuit, quæ remoram injicere poterat principi adoleſcenti: ne in Chriſtianæ fidei articulis & ſolidæ pietatis fundamentis inſtitueretur accuratius.

Felicem illum diem, quæ tenebris infernalibus, nebulisq́; Pontificiis diſcuſsis, tàm gratâ & ſalutari, immò planè cæleſti luce, te *FRIDERICVM* advenientem excipere dignata fuit. O ſolem aureum & niditiſsimum: qui radiis tuis non minus vivificantibus, quàm illuſtrantibus, divinum hunc fætum circumtegere fovereq́; deſideraſti.

Patriam itaq; ſentibus agri Romani liberatam, vepribusq́; luci Italici, umbroſi mehercule & caligantis expurga-

tam:

tam: novi huius & exſpectati hoſpitis pietati: quæ propediem magis magisq; deſideratiſsimis civium votis expetebatur, plurimum profuiſſe agnoſcitis. Patriam inquam, neq; obſcuram, neq; Romano populo incognitam: ſed virtute propriâ genuinaq; claram, & veterum Cimbrorum gloriâ univerſo terrarum orbi commendatam. Non tamen ex hujus celebritate laudem paratam regi veriorem judico: quàm ab Eccleſiâ, communi fidelium patriâ (cujus civem eſſe præclarum eſt ornamentum, ut ait Baſilius) cujus alcedonia tum temporis in Daniâ, Dei beneficio, fuerunt non obſcuris indiciis exſtructa atq; exædificata.

Non minus igitur ipſi recens nato patria fuit decori: quàm ipſe in tota regni adminiſtratione patriæ. Nam ſi olim laudi fuit apud Barbaros nato, græcorum diſciplinas ſcire: profectò majorem laudem adeptus eſt *FRIDERICVS*: quòd utroq; feliciter frueretur munere: patriâ nimirum ipſum illuſtrante, ipſo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Regiis virtutibus patriam decorante; qvibus duobus conjunctis: neſcio an qvid præſtantius, nobilius, clarius, homini mortali in hâc vitâ contingere qveat?

Vt ſolum natale, ad pietatem Regis beatiſsimi, & relligionis ſtudium indicandum plurimum profuiſſe audiviſtis: idem de parente Chriſtianiſsimo, cujus virtutem in ſobolem ſpargi & diffundi neceſſum fuit, proximum eſt vt audiatis. Verè omnium doctorum calculo ſuffragante, dictum eſt: Fortes generantur fortibus & bonis: Eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus: nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Et quod hoſpes Athenienſis reſpondet Cliniæ apud Platonem, (unuſquisq; liberos relinquens, in ſuis liberis quodammodo renaſcitur) non tàm de ſeminis propagatione, anguſtè nimis uſurpandum cenſeo: quàm de naturâ, ſive adjunctis qualitatibus, tùm bonis tùm vitioſis parentum, in prolem diſſeminandis & conferendis: tùm verò & citius & tenacius: ubi vel recta

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

cta vel prava acceſſerit inſtitutio. Bonâ enim & liberali inſtitutione, quod eſt vitiorum innatum, aut corrigitur ex parte, aut exſtirpatur penitus (quod Zopyro jactabundo reſpondit olim Socrates) virtutis quod inſitum fuit, confirmatur plenius: & ad frugem bonam conſervatur ſtabiliturq; firmius. Contrario modo ſe habet in pravâ & adulterinâ. Prima ſiquidem ætas, inſtar ceræ, in utranq; partem nullo negotio idonea eſt flecti & formari: retinetq; pertinacitèr, quod primitùs eſt imbibitum accerſitumq;. Sed ad rem.

Rex itaq; *FRIDERICVS* Secundus, C*HRISTIANO* tertio rege, regum Chriſtianorum Chriſtianiſsimo ſatus fuit. Qui licet nondum ad rerum Danicarum gubernacula acceſsiſſet, cùm naſceretur filius: tamen & ipſe ex Regiâ proſapiâ oriundus: & non multò poſt, Rex Daniæ & Norvvegiæ deſignatus & ſalutatus fuit. Quæ autem gloria admirabilior: quod decus illuſtrius: quæ fa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ma perennior cuiquam ſtatui poteſt? quàm Regem regis filium agnoſci? Apud Lacedæmones & Perſas ſancitum accepimus: neminem ad Regios honores admiſſum unquam: præterquam ex Rege prognatum. Quocircà Lacedæmoniorum Regum uxores, ab Ephoris publicè cuſtodiebantur: uti quantum fieri poſſet caveretur, ne ex alio quodam genere Rex clàm irreperet, quàm ex Heraclidarum ſanguine. Perſarum vero Rex adeò excelluit, vt nemo ſuſpicari poſſet, Regem aliundè quàm ex Rege naſci. Inq; ſtirpibus Regalibus recenſendis, hunc curſum Lacedæmones pariter & Perſæ tenebant aſsiduè, donec origo tandem ad Iovem revocaretur.

Sed quid ad Chriſtianum tertium, *FRIDERICI* parentem Lacædæmon? quid Perſa? quid Athenienſis? Hoc quidem do lubens, unum eundemq; Deum, qui (ut Propheta ait) tranſfert & ſtabilit imperia, omnium horum regnorum auctorem fundatoremq;

exſti-

exſtitiſſe: do etiam magnificam & præclaram tantorum fuiſſe imperiorum adminiſtrationem: do prætereà & hoc, virtutibus excellentibus, præclarisq; in rempub. meritis plerosq; præditos & ornatos. Quo autem loco Hercules claviger? quo Achæmenes? quo Perſeus Inachius ille, qui & pennipes? quo Dædalus Architecturâ clariſsimus? qvo Vulcanus ille, vel cælo, vel Nilo natus, vel Lemnius, aut Iûpiter ipſe fictitius? ex qvorum omnium progenie ſe ortos & excitatos ſunt commenti. Noſter autem, qvem piè nominavi, filius altiſsimi & cæleſtis Iehovæh progenies divina. Si enim homines ſapientes regiam dignitatem virtute, qvâ Deis aſsimilamur, ut in Theæteto Plato ait, metiri nunquam dubitabant; (qvod & Antigonus fateri de ſeipſo non veritus fuit) eamq; ſolam competere hominibus eximiis virtutibus illuſtratis: Vera autem & perfecta virtus, conſtet ſolidâ Dei cognitione, & dilectione proximi; non judicabitur mihi Chriſtianus parens, à

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Divinâ progenie alienus eſſe poſſe; qvem non timidè & titubantèr, ſed elato animo, ſatu tali editũ eſſe pronuncio. At non ita ſatum, ut Heroum natio, quæ eſt apud Homerum. Illi enim cum propter egregium facinus aliqvod, nomen famamq́; ſibi adqviſiviſſent: facilè ementiebantur generis ſui principium, & ad falſa quædam & impia numina referebant. Noſter verò Chriſtianus non Iovem, neq; Liberum patrem, neq; qvodvis aliud Idolum aut potius Dæmonium: ſed præpotentem Deum, cæli, terræ, marium conditorem, fidelium omnium Patrem, generis ſtirpiſq; avctorem agnovit. Hæc nemo veſtrum impræmediatè elevare cogitet: anteqvàm tùm de omnibus piis, tùm etiam de beatis Regibus & Principibus, avdiet teſtimonium Chriſti, omni exceptione majus. De membris ſalutaribus eccleſiæ, in genere ſic pronunciat. Annunciabo nomen tuum fratribus meis. Et, Aſcendo ad Patrem meum & ad Patrem veſtrum &c. εἰδικῶς verò de ſanctiſsimis

regibus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

regibus, inq́; eorum memorabile & ſempiternum Encomium, Ego dixi, Dii eſtis, & filii altiſsimi omnes. Qvæ omnia ſi in noſtrum hunc qvadrare, ſcire velis: ex hiſtoriis petas; ex quibus ad fidem faciendam auditoribus, unicum, cæteris neglectis, adducere non erit moleſtum.

Poſteaquam regnum aliquandiu occupaſſet Chriſtianus: atq; ſub initium adminiſtrationis, pro explorato habuiſſet nonnullis in locis, reliqvias fermenti pontificii, maſſæ reſtituti & repurgati Evangelii admiſtas: nihil magis Serenitati ejus in votis fuit: qvàm ut ovile Chriſti, in quo ſub larvâ ovinâ, delitefcebant lupi inſatiabiles, latronesq́; ſceleſtiſsimi: gregis jam nuper laborioſius coacti, rurſum diſsipandi occaſionem meditantes, à magnitudine periculi vindicaret, & in tranqvillam libertatem aſſereret. Re itaq; maturè deliberatâ: litteris à Reverendo domino Luthero, Scholæ VVitebergenſis antiſtite, humaniter flagitat; ut veniâ ab Electore Iohanne Fri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

derico impetratâ: in Daniam, reformandarum Eccleſiarum gratiâ venire ne recuſet. Huic tàm piæ pii Regis petitioni, cum ſubſcribere Luthero non integrum eſſet; partim propter afflictam valetudinem: partim propter negotia, qvæ ipſi cum adverſariis interceſſerunt; modeſtè, excuſatione probabili prætensâ, recuſavit. Ne tamen videri vellet voluntatem tanti Principis negligere: néve eccleſiæ indigenti ſe ſubtraheret; egit cum D. Iohanne Bugenhagio Pomerano, Eccleſiæ VVitebergenſis paſtore: ut onus hoc, nomine Eccceſiæ, libentèr ſibi imponi pateretur. Qvi tandem præceptis informatus, conſiliis inſtructus, auctoritate munitus, Daniam attingit; tàm humanitèr, qvàm regalitèr à Sereniſsimo Rege & Regni proceribus ſalutatus & exceptus.

Pavcis interjectis ab adventu diebus, inſtituũtur colloqvia inter adverſas diverſorum dogmatum partes: conferuntur utrinq; ad normam fidei & verbi Dei rationes:

tiones: pontificii errores damnantur; convictis ſi meliori ſententiæ ſubſcribere, qvam verbo Dei aperto ſtabilitam avdierant, eamq́; conſtanter tueri velint, proponuntur præmia, & hoſpitia liberalia promittuntur: Sin malint pervicaciter erroneis opinionibus favere: mandatur, ut ad dictum exſilio diem, extra Regni terminos ſe proferant, aliisq́; locis latibula quærant.

Rebus hac occaſione commodè tranſactis, & in integrum reſtitutis: conſtituuntur tàm Eccleſiis qvàm Scholis idonei doctores & paſtores: Academiæ patriæ, quæ nvnc celebris eſt in urbe Haffnienſi, pænè collapſæ, ſublicæ ſubduntur; neq; ſolum priſtino reſtituitur nitori: verum duplo meliorem, politiorem, perfectioremq́; formam induit. Cui demum præficitur vir doctiſsimus, ingenio incredibili, & acerrimo judicio, Doctor Iohannes Maccabæus Alpinas, gente Scotus, familiâ illuſtris & clarus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Nunqvid auditores, ridicula vobis videtur, aut parvi æſtimanda, hæc Chriſtiani tertii pietas, & pro relligione ſuſcepta moleſtia? Profectò, qvod mecum judicaturi eſtis dextrè & ſincerè, ſi ſalus & animæ incolumitas ſubditorum, civium, ruſticorum, hominumq; vi-liſsimorum ipſi tantoperè fuerit curæ; ut nullis parcendum impenſis: nullis laboribus superſedendum: nvllis vigiliis abſtinendum putaverit: ſaltèm ut ſubditorum gregem univerſum in viam veritatis reductum, Deo lucrefaceret; qvam cenſetis ipſum adhibuiſſe diligentiam, qvod ſtudium poſuiſſe, qvantum curarum ſibi confeciſſe: ut filius, ipsâ vitâ carior, verâ Evangelii de Ieſu Chriſto doctrinâ arreptâ, cæleſti imbueretur pietate: non tanqvam civis urbanus, aut hoſpes ignotus: ſed ut Regis Chriſtianiſsimi filius: qvem pater ſimili pietate patriæ aliqvando profuturum, præſenſit & optavit. Qvid igitur difficultatis, qvin virtus paterna, non illa civilis modò:

dò: verùm divina hæc & [illegible]æleſtis, in filium propagà commodè potuerit? qvod tamen rectius aſſeqvi [illegible]eritis: ſi quod de inſtitutione ejus ſum dicturus attentè avdiveritis. Regii pueri apud Perſas modu[illegible] forma inſtitutionis talis fuit: ut [illegible]do educationis, quæ ad ſeptimum æt[illegible] annum porrigebatur, circumactâ: ad eqvos reiq; eqveſtris magiſtros amandaretur: & venatum ire inciperet, uſq; ad annum decimum qvartvm: qvo tandem anno, diſciplinæ pædagogorum committendus eſſet. Ex Perſis verò qvatuor conſtantis ætatis viri, inqvirebantur: nimirum ſapientiſsimus, juſtiſsimus, temperantiſsimus, & fortiſsimus: qvibus tota inſtitutionis cura demandata fuit.

Hoc ſtudium neque temerarium neque planè infrugiferum: qvamvis doctis viris, præſertim Ariſtoteli probatum laudatumq; merito fuit; tamen præpoſterum hunc diſciplinæ ordinem, facilè neglexit & contemſit Chriſtianus parens, de filio erudiendo cogitans. Non ignorabat

rabat neceſſariam fore Regi futuro eqſtris exercitii, rudimentorum rei bellicæ, tractationisq́; armorum mediocrem cognitionem: qvam in regio puero unicè deſiderat Plato 7. de Repub; Sed exercitationibus veræ pietatis, & ſcientiæ liberalium diſciplinarum anteferendam eſſe, non modò periculoſum: verúm per ſe etiam impium, & cum diſpendio ſalutis conjunctum prudentèr adnimadvertit & judicavit. Verè enim regiâ mente intellexit, τὴν σωματικὴν γυμνασίαν πρὸς ὀλίγον ὠφέλιμον εἶναι: τὴν δὲ εὐσέβειαν πρὸς πάντα; Neq; neſciebat Timorem Domini initium omnis ſapientiæ & felicitatis humanæ: immò non ſolùm principium, ſed fundamentum, ducem, gubernatricem, omnium virtututum (ut alicubi diſſeruit doctiſs: Theologus) jure perhiberi & eſſe. Pietate enim, ſi unqvam aliàs tunc maximè eſt opus, ubi reipub: gerendæ cura ſuſcipitur. qvod relligiosè monebat Athenienſis hoſpes, his verbis; Θεὸν δεῖ πρὸς τὴν

τῆς

τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλώμεθα: ὁ δὲ ἀκούσειέ τε καὶ ὑπακούσας, ἵλεως εὐμενής τε ἡμῖν ἔλθοι, συνδιακοσμήσων τήν τε πόλιν καὶ τοὺς νόμους. Deum inprimis ad civitatis conſtitutionem invocemus: ille verò favens propitiusq́; adſit, noſtraq́; vota audiat, leges civitatemq́; unà nobis exornaturus. Primâ igitur ætate, filium ad veri Dei cognitionem, & cæleſtis doctrinæ ſapientiam inſtitui ſeriò cupivit: anteqvam tranſitus ad civilium rerum curam & artes militares fieret.

De bonarum diſciplinarum tinctu-râ, non aliter ſenſit, ac doctiſsimus ille & ſapientiſsimus Rex Arragonum; cujus cum in avlâ alicubi dictum fuiſſet, Non decere principem literas: non minus regalitèr qvàm ſcitè reſpondit; Vocem illam bovis, non hominis eſſe: cum Rex & Princeps indoctus non multùm Aſino coronato ſit abſimilis. Cognovit enim in libris & ſcriptis eruditorum hominum, ea interdum reperiri, quæ conſiliarii, neq; moneant principem: neq; etiam monere

fortè

forte auſint: qvorum utrumque multi eſt laboris, ut ait Tacitus. Rectè ergo Phocyllides, μηδέποτε κρίνειν ἀδάκμονας ἄνδρας ἐάσεις, dixit. Et Plato cenſuit, tùm demùm beatas fore Reſpub. ubi aut Reges Philoſophentur, aut Philoſophi rerum gubernaculis præficiantur. Qvod qvàm non ſit abſurdum: verum felix potiùs & ſalutare; edocerem pluribus exemplis, Architæ, Dionis, Epaminondæ, & aliorum: niſi hiſtoriæ Ioſephi, Salomonis, Danielis ſuppeterent.

Qvemadmodum itaq; Philippus Macedo, Magni illius Alexandri pater, ſe diis, (ut eſt in Epiſtola qvâdam ejus ad Ariſtotelem) gratias habere ſummas ait; non tàm qvod natum ſibi filium cognoſceret: qvàm qvod Ariſtotele ſuperſtite in lucem editus eſſet; Ita Rex Chriſtianus, ut Fridericus noſter veræ Pietatis ſolidum fundamentum jaceret: & diſciplinis moribusq; regalibus inſtitueretur rectius: non in exiguorum beneficiorum numero ponebat; qvod haberet patria

tam

tàm pium,& eruditum virum: cujus operam informationi filii in primis profuturam conſideret. Quia non ignorabat nihil verius, qvàm non debere in magiſtratum aſſumi eum, qui prius aſſumtus non fuit in diſcipulum: τὸν γὰρ μέλλοντα καλῶς ἄρχειν ἀρχθῆναι δεῖ πρῶτον, ut Ariſtoteles ait. Itaq; propter ſingularem pietetem, Clariſs: viri, M. Iohannis Svanningii,& aſsiduum ad ſacras litteras purè & intemeratè propagandas ſtudium, cura inſtitutionis ipſi commiſſa fuit; & rectè meâ quidem ſententia. Neq; enim minus intereſt, qvos quis ſibi adſciſcat præceptores, qvàm qvos nactus ſit parentes.

Vt ergo patre pientiſsimo prognatus fuit: ita ſimilis ſtudii Pædagogo commendandum conveniebat; niſi negligere qvis velit, principi non minus tùm pernitioſum eſſe, tùm indecorum, ab inhoneſtis inſtitui, qvàm naſci. Etenim ut liberi fermè referunt majorum, unde pro gnati ſunt ingenium; ita Præceptorum

tum

tùm virtutes, tùm vitia demigrant facilè in eos, qvos inſtituendos ſuſceperunt. Qvare & Alexander Macedo, Ariſtotelem, cui puer formandus fuerat traditus, ſummâ veneratione proſeqvebatur: dicens, ſe illi non minus qvàm patri debere: qvod à patre vivendi, à præceptore benè vivendi initium accepiſſet: ut refert Plutarchus in ejus vita. Diogenes contrà, cum puerum conſpiceret indecorè ſe gerentem, pædagogum baculo percuſsit, Cur ſic inſtituis? inqviens. Indicavit primæ ætatis formatoribus, potiſsimum imputandum eſſe, ſi adoleſcentes evadant malè morati. Morborum enim animi cauſſæ, teſte Platone in Timæo, potiùs iis qvi educant, qvàm qvi educantur ſunt attribuendæ. Fridericum avtem Principem ex hoc præceptore non ſolùm didiciſſe litteras, vitæ humanæ utiles & neceſſarias: verùm etiam virtutem & pietatem accepiſſe, teſtantur reipub: forma & fama: & præclara illa δίδακτρα, qvibus informatorem hunc ornatum & do-

natum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

natum à ſe dimiſit. Totum itaq; tempus, qvod gubernationem anteceſsit, pietate & virtute hujus Principis illuſtratum fuiſſe non dubiis rationibus avdiviſtis. Proximum eſt ut alterum attingamus, qvod nimirũ cũ ipſius regni adminiſtratione cepit, & deinceps feliciter traductũ eſt: ubi, niſi me mens fallit, avdituri eſtis, non modò Regem beatiſsimum θεωρίαν minimè fucatæ pietatis addidiciſſe: Verùm, qvod multò eſt laborioſius & difficilius, ſic ſe practicæ Theologiæ adſveſeciſſe: ut dubitem an Regũ orbis Chriſtiani aliqvem habuerit ſibi in hoc ſtudio parem, ſuperiorem non habuiſſe, ſat certò ſcio.

Vt enim qvis qvod neq; ſcit neq; poteſt, in actum producere neſcit, ut diſputavit cum Hippiâ Socrates: Ita ſine actione, bonarum rerum ſcientia nuda, aut nulla planè eſt: aut adeò marcida & emortua: ut præſtare videatur nihil ſcire: qvàm qvæ cognitione adepti ſumus, crebra exercitatione neq; excolere neq; ornare. Ad

D qvid

qvid enim, quæſo, ſcientia abſq; ſapientia, id eſt, Scientiæ vero uſu: juxta veterem verſum:

ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἂν μὴ νοῦς παρῇ.

Qvam ſcire nihil eſt, ſapere ſi non adſit. Vnde ſequitur veram ſcientiam eſſe, ut eſt in Protagorâ Platonis: quæ homini dominatur: ut à nulla re uincatur: nec qvidqvam aliud agat, qvàm qvod ſcientia juſſerit atq; præſcripſerit; eóq; præſtabilior judicatur, qvò divinam mentem refert clarius: ſeq; totam ad ejus nutum & voluntatem componit conformatq; lubentius. Ex qvibus nemini dubium eſſe poteſt, elumbem eſſe & exſuccam ſcientiam: cujus uſus & actus in communi vitâ non eſt conſpicuus.

Qvod cùm ex ſacrarum litterarum monumentis etiam intellegeret Rex Fridericus, Chriſtianum ſcilicet ποιητὴν λόγου καὶ μὴ μόνον ἀκροατὴν eſſe debere: In hoc ſedulus incumbebat: ut in iis quæ ardens pietatis ſtudium attinebant, ſapientem principem ſe probaret, neq; mi-

nus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

nus enitebatur μύθων μὲν ῥητῆς ἔμμεναι πρηκτῆρα δὲ ἔργων: ne nummis duntaxat ad numerandum uti videretur, qvod in Athenienſes olim ſcitè admodum dixit Anacharſis.

Oblatis itaq; Regiis faſcibus, Anno 1559. parente Chriſtiano, rebus humanis exemto; hoc ſtudium, ut ex patre didicerat, unicè coluit & excoluit; cujus fructus tùm in avlâ domeſticâ & Regiâ conſpiciebatur pulcerrimus: tùm ad Eccleſiam & Rempub. univerſam redundabat ampliſsimus & uberrimus.

Initio itaq; viros pietate, doctrinâ, Nobilitate & prudentiâ graves, qvorum conſilia patri demortuo probata ſatis & perſpecta fuerant, in tàm difficili munere faciliùs obeundo, ſibi initio gubernationis ſollicitè adjunxit. Cognoverat enim τὸ ἰδιοβουλεύειν magnarum cladium anteà in Repub. occaſionem præbuiſſe. Neq; ſolum familiaritèr iis utebatur, verùm etiam ad magnam adminiſtrationis Politicæ partem admiſit, ratus procul dubio,

arduum & permagnum onus humeris ſuis impoſitum: in qvo ſuſtinendo, multæ vigiliæ, labores graviſsimi, moleſtiæ & ſollicitudines immenſæ exantlandæ eſſent ac perferendæ.

Hæc inqvam muneris magnitudo effecit: ut non modò amicos parentis, ſibi conciliaret amicos, faceretq́; conſvetudine devinctos: verùm qvoq; patris loco haberet revereretur q́;. O Regis juvenis ingenium pium & optimum. qvod utinam plures juniorum principum, qvibus ad tantum dignitatis faſtigium evolare contingit, non cognoſcerent modò: ſed induerent; jam maxima bellorum & inteſtinorum motuum, qvibus totus ferè orbis concutitur, cavſſa ſublata fuiſſet. unde enim tot repentinæ in Politiis mutationes: tot rerumpub. everſiones turbulentæ: tot civilium inter magiſtratus & plebem diſſenſionum pericula vetera & recentia: niſi qvòd imprudens magiſtratus, ſeniorum conſiliis ſpretis & poſthabitis (exemplo Rehabeami Salomonis

filij,

filii,) ſuis ſe mancipent juvenilibus affectibus: iisq; plus tribuant, quàm ſanis virorum exercitatorum conſiliis & monitionibus. Stat enim hoc immotum: Væh terræ cujus Rex puer eſt. Qvo circâ rectè Paulus Æmylius cenſuit imperatorem, Si minùs ætate, moribus ſenem eſſe debere; qvi ex ſenioribus, qvorum judicia multarum rerum uſu & experientiâ eſſe ſolent confirmata, petendi ſunt.

De hac ejus domeſticâ pietate teſtantur etiam freqvens cum doctis viris converſatio, & cum hisdem, Theologis & miniſtris verbi maximè, colloqvia crebèrrima; qvæ pluris faciebat, qvàm inanes avlicorum λογεμπόρων καὶ λογοδαιδάλων μωρολογίας καὶ βωμολοχίας: qvas à prima ætate extremè deteſtatus fuit. Teſtantur qvotidianæ concionum ſacrarum avditiones: ad qvas negligendas nullis exercitiis, nullis curis, nullis impedimentis unqvam adduci poterat. Teſtantur de Magiſtratus officio monumenta clariſsima, ex divinis litteris eruta: qvæ par-

tim manu ſcripta, partim Danicâ & Germanicâ lingvis excuſa, in æternam Regiæ pietatis memoriam poſt ſe reliqvit. Teſtantur deniq; liberi Regii, omnium maximè *CHRISTIANVS IV.* inavguratus Rex Daniæ: qvem etiam ab incunabulis, tùm ad veram pietatem, juſtitiam, humanitatem: tùm ad optimarum artium ſcientiam comparandam, flagrantiſsimo ſtudio erudiri voluit. Hæc ne vobis auditores, ad domeſticam pietatem ejus demonſtrandam ſufficere videntur?

Credo. ſed ad publicam & conſtantem pietatem in animis ſubditorũ excitãdam, illa ipſa in primis in Rege viſa eſt eſſe neceſſaria. Nihil enim æqvè movet eos, qvi parere debent: ut intra metas officii ſui ſe contineant: qvàm eorum qvi præſunt exempla pietatis & æqvitatis; qvæ qvò fuerint illuſtriora, eò celerius ad piè vivendum cæteri adducuntur, & vehementiùs incitantur. Qvò circa non temerè Regum Aegyptiorum ſtatuis inſculptum fuiſſe

fuiſſe accepimus, εἰς ἐμὲ τὶς ὁράων, εὐσεβὴς ἔσω: Regem namq; exemplar eſſe virtutum omnium decet: qvem ſui cives tanqvam Deum in terris intueantur; cujus vitâ & moribus vitam ſuam & mores inſtituant: cui non ſecus ac regi cæleſti pareant & obſeqvantur. Et digniſsimi ſunt verſus Claudiani, qvi ab omnibus Principibus Chriſtiani orbis cogitentur & perpendantur.

Tu civem patremq́; geras: tu conſule cunctis.
In commune jubes ſi qvid, cenſesq́; tuendum,
Primus juſſa ſubi; tunc obſervantior æqvi
Fit populus; nec ferre vetat, qvùm viderit ipſum
Autorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, qvàm vita regentum.

Proinde ſi hoc Poëtæ verum eſt, (vt eſt

 ſanè)

ſanè) *Qvicqvid delirant Reges, plectuntur Achivi*; ſi etiam rectè cecinit Heſiodus Magiſtratum innuens, πόλλακι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ: relligiosè cavendum eſt regi: ne qvid committat vel admittat: qvod gladium iræ divinæ acuere eundemq; ſtringere poſsit: non tàm in ſeipſum, qvàm in totam regionem; cvjus incolumitatem ſartam tectam eſſe cupere debebit. Privatæ hæc ejus pietatis inditia fuerunt; in qvibus non eſt, cur tempus teram: cum plura & majora ſint, qvæ fœcundiorem dicendi materiam ſuppeditant.

Confirmatis regni viribus: oculos tùm ad Eccleſias omnes: tùm præcipuè ad Academiam Hafnienſem convertit. Ea cum non ſolùm Privilegiis donata, ſed liberaliſsimis ſtipendiis locupletata fuerat à Chriſtiano Tertio: nihilominùs non conſervanda modo ejuſdem jura, qvin potiùs firmanda cenſuit; & Profeſſorum annua δίδακτρα avgenda, regium nomen & officium qvo fungebatur, in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

primis reqvirere exiſtimavit. Noverat enim pientiſsimus Rex doctos viros, qvibus juventutis informandæ & Eccleſiæ ædificandæ cura committitur, à ſordidiuſculis rerum domeſticarum curis oportere eſſe remotiſsimos: ne tempus & ſtudium, quæ communi utilitati impertienda eſſent, in privata & publicam incolumitatem avertentia negotia impenderentur. Qvod multi, qui eruditorum favtores ſe jactitant: vel non intellegunt: vel ſi intellegunt qvidem, affectatâ qvâdam ignorantiâ neglegunt, & deditâ operâ prætereunt. Graviſsimum ni fallor pietatis Friderici hoc fuerit teſtimonium, qvòd in decernendis honoribus & deferendis præmiis doctis & eruditis hominibus, pavciſsimos pares, ſuperiorem neminem unqvam habuerit

Sigiſmundus Imperator, Alberti ſocer, cùm à Germanis Principibus, qvi latinas litteras oderant, repræhendebatur: qvòd homines obſcuro genere natos, ob litterarum commendationem, foveret;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Qvid ni, inqvit eos amem, qvos natura cæteris antecellere voluit. Non aliter Fridericus, (qvamvis generis etiam rationem habendam eſſe ſciret) veram eruditorum hominum eſſe nobilitatem, eámque ornandam & illuſtrandam cenſuit.

Qvaliter fuerat erga ipſam Eccleſiam affectus, teſtis erit non modo Dania tota, ſed Norvvegia, Hetlandia, & nigræ littora Thyles, intra circulum Arcticum ſitæ, qvàm Islandiam nunc vocant; quæ regio licet à regno Daniæ ſexcentis pænè milliaribus diſtet: non minùs tamen beneficio Regis Friderici, hodiernâ die veram & incorruptam de filio Dei amplectitur doctrinam, tueturq; & propagat conſtantèr & intrepidè. In qvam terram, cum qvotannis propter longinqvitatẽ & incommoditatem itineris marini, ſemel tantùm proficiſci liceat: ne adminicula conſervandi Evangelii populis remotiſsimis deeſſent: ſtudiosè curavit Rex optimus, proximis annis eò Typographiæ uſum importari: ut non ſo-

lum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

lùm ſacroſancta Biblia, patriâ lingvâ cuivis eſſent obvia: verùm etiam ſcripta eruditorum hominum, præcipuè Lutheri & Melanchthonis per totam regionem commodè venundarentur & diſtraherentur.

Hos enim duos viros, cum ſingularia organa Dei, ad propagandam cæleſtis doctrinæ veritatem divinitùs excitata agnoſceret: eorum lucubrationes & operas inprimis Eccleſiæ neceſſarias, ut judicavit: ita quoq; plurimi fecit, conſtanter amavit, diurnaq; nocturnaq; manu verſavit. Et qvia non dubitavit ſummam veritatis cœleſtis, ordine admirabili & methodo pulcerrimâ comprehenſam & digeſtam, in Locis communibus Divini illius Melanchthonis, & in confeſsione, qvæ exhibita fuit Carolo V. Imperatori in Comitiis Auguſtæ, Anno 1530, hæc duo ſcripta, Eccleſiis omnibus voluit eſſe commendatiſsima: ad qvæ ceu Theſei filum, & normam certiſsimam: qvidqvid in Regnis Daniæ & Norvegiæ doceretur,

planè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

planè congrueret; eo præſertim fine: ut unanimitas & concordia inter docentes & diſcentes doctrinam de filio Dei, ſervaretur immota & conſtans, atq; ad poſteros relligiosè diduceretur & propagaretur.

Neqve enim hanc docendi formam mutandam unqvam cenſuit, propter leviſsimorum hominum, avrum potius & avram popularem, qvàm gloriam Dei venantium ἐριστικὰ ingenia: cum ipſe totus eſſet εἰρηναῖος καὶ εἰρηνόποιος: ſciretq; ſe ad ſervandum vinculum pacis & unionem veræ, non fucatæ concordiæ à Deo excitatum: non ut qvovis vento ad nutum otioſorum hominum, huc atq; illuc inſtar calami ab avrâ agitati, moveretur atqve concuteretur. Has officii ſui partes, ut tueretur rectiùs; aſsiduè vim nominis *FRIDERICI*, qvod ipſi, cùm ſacro baptiſmatis fonte levaretur impoſitum fuit, intuebatur, expenditq;: de qvo olim, tale ad Regem ſcripſit Epigramma Alexander Aleſius Theologus Lipſenſis.

Si

Si Friderice tuo, te præſtes nomine dignum,
Inter diſcordes pacificator eris.

Neq; nomen omine caruit. Cùm enim aliqvot ab hinc annis paſsim in cæteris regionibus, motus turbulenti, de doctrinæ formâ, in Eccleſiis & Scholis mutandâ, infeliciter excitati fuiſſent: In nullius hominis gratiam, neqve turbandam pacem Eccleſiæ, neq; conſcientias onerandas, novis & inuſitatis dogmatibus regaliter non minùs qvàm relligiosè judicavit. Etenim conſtabat Pientiſsimo Regi, Fundamentum ſalutis aliud non ponendum, præter id qvod poſitum eſt, qvod eſt Ieſus Chriſtus: Et ſuper id exædificandum, avrum, argentum, lapides pretioſos; ſtipulas autem (id eſt hominum inventa & nugas otioſas) digniſsimas eſſe qvæ flammis admoveantur, igniq; propter ignobilitatem adurendæ tradantur: ut piè monet Apoſtolus.

Vt autem hæc orthodoxa doctrina
poſteris

poſteris feliciter traderetur: à mendis humanarum opinionum libera: aluit ſingulis annis multis impenſis, non ſolùm in Academia Hafnienſi, & aliis regni Collegiis Theologicis, verumetiam in Germaniæ locis plurimis, ſupra qvadringẽtos juvenes, ſtudio Theologico plærosq; cõſecratos: qvorũ operam ecclesiæ non dubitavit inprimis eſſe profuturam. Si qvis tàm ſtupidus aut excors eſt: qvi hoc tàm præclarum pietatis, & amoris erga Eccleſiam teſtimonium non agnoſcit: conſideret paternum regis affectum erga exſules Gallos & Belgas: qvi proximis annis, urbibus & agris exterminati, & fortunis omnibus exſuti, propter fidei confeſsionem, in Daniam, tanquam ad tutiſſimum portum Navfragi ſe receperunt; qvibus tùm hoſpitia, tùm hoſpitii jura omnia beneficè conceſsit & largitus eſt: ut nõ immeritò hanc regionem ſuam Sareptam eſſe omnes profiteantur. Conſideret etiam, quàm non oſcitantèr, neq; invitus, ſed animo lubentiſsimo, & Eccleſia-

cleſiarum in Belgico juvandarum zelo pientiſsimo, proximis ante obitum menſibus, cum Hiſpaniarum Rege Philippo, de pace cum Belgis conſtituendâ egerit; qvæ procul dubio, jam confecta & confirmata fuiſſet: niſi immatura Regis mors, tàm pium & ſalutare negotium antevertiſſet. Sed deficeret me ætas: ſi in ſingulis ordine percenſendis laborarem.

Politico ſtatui non minus etiam Regis pietas emolumento fuit. Hâc enim publica civium ſalus: hâc juſtitia in civitatibus & provinciis ſtabilita: hâc pax & tranqvillitas communis tutata & defenſa eſt. Hâc quoq; Tyrannis ſuppreſſa: hâc injuriæ, cædes, ſeditiones, latrocinia terrâ mariq; immania & cruenta, vel prohibita omninò: vel ne latius ſerperent, cohercita & punita. Hâc deniqve adminiſtratio regnorum tàm ardua, piè inchoata, tranqvillè traducta, & felicitèr abſoluta fuit.

Vidit Rex Pientiſsimus ætatem, in qvam inciderat, propter mundi & Sathanæ fu-

næ furores, plenam fuiſſe multarum confuſionum, odiorum, tumultuum, bellorum. Adnimadvertit etiam, hæc mala indies cumulari, declinantibus propediem & ſuccumbentibus, mundi ſeneſcentis viribus: Tamen eadem, ſi non tolli penitus: at mitigari ex parte non diffidebat, ſtudio piarum precum & pœnitentiæ ſeriæ: qvibus Deum offenſum placari & leniri didicerat. Exemplo itaq; piorum Ninivitarum, ſingulis ferè annis menſe Ianuario plærumq;, publicarum precum & pœnitentiæ feſta ſolennia, per totum regnum indicere ſolitus fuit; qvibus ſeveriſsimè, tùm Magiſtratus, tùm populus, orationi ardentiſsimæ, pro deprecandâ irâ Dei & pænis imminentibus vacare jubebatur. Sperabat enim, & rectè, conjunctarum precum majorem fore vim & efficaciam, ad impetrandam peccatis veniam, ad avertenda flagella iræ, ad emolliendum exacerbatum Dei adverſus homines animum. Hoc beatiſsimi Regis exemplum: ſi reliqvus magiſtratus ſibi imitandum proponeret:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

neret: non dubium eſſet, qvin infinitæ averterentur à Politiis ruinæ & calamitates: & florerent magis urbes & reſpublicæ: qvæ propter impietatem & peccandi impunitatem et licentiam, voluntariè exitium & deſolationem ſibi advocant & acceſſunt.

Civibus hoc modo, ad veram pietatem & vitæ ſanctimoniam informatis: incolumitatem eorundem in eo etiam ſitam ſollicitè cogitavit, ſi populo in provinciis & civitatibus, qvi præficeretur inferior magiſtratus, humanioribus ſtudiis & diſciplinis, ſocietati humanæ conſervandæ neceſſariis, rectius imbueretur. Hoc ut aſſeqveretur, ſvaſor indefeſſus familiis nobilioribus exſtitit, ut diligentiorem liberorum informandorum curam ſuſciperent: ne ad pecuinam feritatem magis, qvàm ad humanitatem politiorem adſveſierent. Neq; enim ſatis fuit publicorum munerum adminiſtrationem, committere viris, ex nobilibus parentibus oriundis, niſi iidem virtutis & morum honeſtorum ornamentis præditi eſſe viderentur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Cum enim duo reqvirantur ad florentis reipub. conſervationem, magiſtratus nimirùm virtute præſtans: morumq́; veterum obſervantia & cultus, ut ex verſu Ennii (*Moribus antiqvis res ſtat Romana virisq́;*) planum eſt: Cives autem benè morati efficiantur: ſi virum habeant virtute excellentem, qvem tanqvam ducem ſeqvantur, qvemq́; aſsiduè intueantur: Qvis neſcit miſeram & deploratam fore ejus civitatis conditionem, cujus gubernacula tenet nobilis, genere qvidem clarus & inſignis, ſed ob virtutis & doctrinæ cultum neglectum, obſcurus & humilis. Qvi vel juſtitiam & leges ignorat: vel ſi tenet qvidem: ita tamen affectibus rapitur: ut neq; legum neq; æqvitatis rationem ſe habere facilè oſtendat: qvi dum ab aliis vitæ rationem repoſcit, ſuæ intereà ipſe reddere non poſsit. Nónne hoc eſt civibus præponere non hominem ſed beluam, ut ait Ariſtoteles? Nonne hoc gregem non paſtori, ſed lupis, ſed urſis, ſed rabioſis canibus committere?

Hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Hoc ut declinaret periculum reſpublica, Rex ſubditorum ſaluti ſtudioſiſſimus, proximis annis, in Monaſterio Sorenſi, qvod eſt in Selandia, Scholam illuſtrem aperuit: In qva præter plurimos tenuioris fortunæ, triginta ex Nobilitate Danicâ adoleſcentes, ad pietatem, ad humanitatem, ad bonorum morum & nobilium diſciplinarum cultum capiendum, ſumtibus regalibus, regalitèr educandos, alendos, inſtituendos piè curavit. Qvo autem alio fine? niſi ut ſuppeterent, qvi ad ſalutarem civitatum gubernationem in hac horrida & luctuoſa mundi ſenecta idonei forent: qvorum pietate, eccleſiæ doctrina defendi, qvorum virtute & doctrinâ, pax & concordia confirmari: qvorum conſiliis totius regni civiumq; ſalus foveri, juvari, ſtabiliri poſſet. Regi ne an patri patriæ ſimilior videtur, cujus tantus erga rempub. amor, tanta pro civibus cura, tantaq; pro patria ſollicitudo? Hic jure ποίμην λάων eſt & perhibetur, qvod de Agamemnone dixit Homerus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

qvi pluris diligentiam, aſsiduitatem, vigilantiam in regnando, qvàm ipſum regium nomen & avctoritatem faciebat.

Vt igitur toto gubernationis curriculo, ſalutis & incolumitatis ſubditorum fuit cupidiſsimus: qvid mirum eſt ipſum in obitu, parem pietatis & amoris ſpeciem erga patriam, de ſe edidiſſe? Oedipum accepimus regem furioſum & mente orbatum eò deveniſſe inſaniæ: ut cùm è vitâ excederet, à Diis precibus contenderit: uti de regno paterno filii ferro decernerent. Impium me hercule votum, & hominis ne dicam regis voce indignum! Noſter autem Fridericus II. cum menſuram ætatis, vitæq; à Deo conceſſæ curſum ſe abſolviſſe præſentiret: non vi morbi validioris: non doloris vehementia: non ſtudio nimio regiæ familiæ afflictæ conſolandæ, ſe penitùs abduci paſſus eſt: qvin majorem etiam, pro Eccleſia & patria erigenda adhiberet diligentiam & curam. Regios liberos ad pietatem, qvâ ſummo ſtudio imbuti fuerant ope paternâ, pa-

nâ, paterno affectu hortatus eſt: Regni optimates ad concordiam et humanitatem: Eccleſiæ antiſtites ad unitatem fidei & relligionis: ſubditos deniq; ad obſeqvium magiſtratui præſtandum aſsiduis precibus & flagitationibus, conſtanter monuit, monendoq́; excitavit. De hinc quæ toti regno utilitati fore ſapienter cognoverat, prudenter aperuit: optimorum virorum Iacobi & Davidis exemplo, qvibus morientibus eandem etiam curam incubuiſſe legimus. Qvibus actis, ſe ad piam & placidam ex hâc vitâ migrationem, ingenti cum læticiâ, & animi tranqvillitate compoſuit. Qvid, inqvias, cum læticiâ & tranqvillitate? Immò: Nam cum conſentaneum ſit, (ut Socrates in Axiocho refert) ut illi qvi hujus vitæ curriculum, commodè & honeſtè confecerint, æqvo animo & propè pæana canentes, neceſsitati concedant; qvid miratione dignum Pientiſsimum regem & beatiſsimum: cui non modò vita cum honeſtate & virtute conjuncta fuit: ſed verâ pietate ita ornata

& perfuſa tota: ut non hominibus ſed ipſi Deo ſimilior eſſet: qvid, inqvam, miratione dignum ex hoc mortali corpore & carcere diſcedentem, ad capienda cœleſtis regni gavdia verè regalia, tantâ cum voluptate, tanto gavdio tantoq; deſiderio abitum paraviſſe? De Cercida cive Megalopolitâ ex Arcadiâ proditum eſt: qvòd familiaribus ſuis nunciaverit ſe haud ægrè mortem obire: Sperare enim ſe poſt mortem conventurum, ex Philoſophis Pythagoram, ex Hiſtoricis Hecatæum, ex Muſicis Olympum, ex Poëtis verò Homerum. At Friderico nullum inviſendi Homerum, Hecatæum, Pythagoram deſiderium tenuit: nulla cupiditas; nihilominùs jucunda ipſi migratio, jucundus exitus: non ad Elyſios campos illos fictitios, ſed in veram Germanamq; patriam, ſuperum illud domicilium, regnumq; non qvidem ſeptemvirale, aut maritimum aut mediterraneum: ſed paternum illud atq; avitum: cujus adminiſtrationem, rex ipſe regum & dominus dominantium Imma-

nuel

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

nuel noſter Ieſus Chriſtus moderatur & exſeqvitur: in cujus tutelam anima beatiſsimi Regis noſtri ſe recepit: qvæ nunc fruitur jucundiſsimo ſanctiſs: Trinitatis caſtorumq; angelorum conſpectu: unà cum reliqvis Deo dilectis paſtoribus & regibus, Abrahamo, Ioſepho, Davide, Ezechia: cumq́; illuſtriſsimis Principibus, Iohanne Friderico, Chriſtiano tertio, Auguſto Electore Auguſtiſsimo. Qvorvm animæ unà cum corporibus cum ad judicandum vivos & mortuos redibit filius Dei, eò qvòd intelligentes fuerint, fulgebunt ut ſplendor firmamenti: & qvia multos juſtificaverint: tanqvam ſtellæ lucebunt in ſeculum & æternum.

Dixi avditores clariſsimi, de Pietate & ardenti relligionis promovendæ ſtudio, beatiſsimi regis Friderici Secundi: non ut debui, neq; qvantum volui: ſed qvantum pro ingenii tenuitate potui, qvantumq́; dolor & gemitus conceſſerunt. Iuſtitiam, fortitudinem, ſapientiam, moderationem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

animi, ceteraſq; innumerabiles virtutes regias qvæ vitam & gubernationem totam illuſtrarunt: commemorent & commendent alii.

Ego tamen intereà neqve dolorem compreſſere meum: neq; patriæ afflictiſſimæ oculis, lacrumas exterſero, lacrumas inqvam durabiles: & dolorem immedicabilem. Vt monitum igitur Achilli apud Homerum: ἄλγεα δ᾽ ἔμπης ἐν θυμῷ κατακεῖσθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

Tu avtem Dive Friderice, peragrato aſpero hoc & latebroſo itinere, qvod ingenti cum moleſtiâ & viribus pænè depreſſis peregrinando confeciſti, metam tandèm attigiſti optatiſsimam. Tu bello tam ancipiti & tumultuoſo cum tot beluis geſto abſolutoq́;, ſempiternæ pacis cujus in vita ſtudioſus eras, gavdes. Tu relictis ſcopulis & ſyrtibus immanibus, in verum & beatiſsimum, verè fortunatarum inſularum portum & patriam cæleſtem delatus & advectus es. Tibi non invidemus felicitatem: ſic enim meruit tua

pietas,

pietas, tuus amor, ua fides. Noſtra lugemus fata, dura & dira. Immò vitæ uſuram, nobiſmetipſis inviſi & tuo convictu indigni reſpuimus.

Sed cum fatuum ſit his perturbari, qvæ noſtræ non ſunt poteſtatis: Fruſtra luctu & lacrumis pugnamus. Non nos fortunæ, non caſui, ſed Dei paternæ providentiæ ſubjicimus, οὐ κρίσις βέβαια καὶ ἀμετάτρεπτος δύναμις. Dejectos avtem & mœrore confectos hæc eriget conſolatio: qvòd ſperemus Friderici erga eccleſiam pietatem, amorem erga patriam, æqvanimitatem erga rempublicam in filio Chriſtiano Qvarto nobis reſtitutum iri.

Hunc tu ſumme & miſericors pater, in cujus manu, ſunt corda regum, Danicæ genti qvàm diutiſsimè ſerva ab inſidiis diaboli, incurſionibus inimicorum, fravdibus adulatorum, immunem & liberum. Et paternam in ipſo conduplica & adavge virtutem: ut exemplo filii tui proficiat ætate, ſapientiâ & gratiâ in timore tuo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Da etiam ut fiat ſyncerus Eccleſiæ tuæ
deſertæ & afflictæ nutricius & parens: cui
in borealibus iſtis & Neptuniis locis, ad-
huc clemens cõcede, hoſpitia & alcedonia:
qvo ad filius tuus Ieſus Chriſtus ἀρχηποί-
μην gregis, veniet reductum & coactum
miſeras & diſperſas oves in verum illud
& beatum ovile, qvod eſt vita æterna.

Per eundem filium tuum Im-
manuelem noſtrum.

Amen.

D I X I.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

πρόγραμμα publicè propoſitum
4. Iunii.

Humano & benivolo Lectori. S.

IN libro Platonis, qvi Menexenus inſcribitur, methodum præſcribit Socrates, qvam ſeqvi debent, qvi in illuſtrium virorum laudibus concinendis, operam collocandam arbitrantur. Generoſam enim originem primùm commendari jubet; Deindè educationem & inſtitutionem; præter hæc verò, qvàm præclara, & ſe maximè digna facinora ediderint.

Qvis non videt, non minùs neceſſariam, qvàm utilem Philoſophorum Regis monitionem? qvippè qvæ non ſolum faciat ad ſplendorem nominis, & memoriam præſtantium virorum conſervandam & ab interitu vindicandam; verùm etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

etiam ad poſterum animos, ad demortui virtutem amplectendam, ſtudiaq́ humaniora ſectanda, impellendos & ſuſcitandos. Dici enim vix poteſt: qvantos infigant mentibus avditorum aculeos, demortuorum hominum lavdes: maximè avtem Regum & Principum Chriſtianorum; qvorum ut origo illuſtris: ita plærunq virtus nobilior, & geſta præclariora eſſe ſolent: qvæ ſinguli, qvibus curæ & cordi virtus & pietas, ſtudiosè ſibi imitanda proponunt; cùm nemo mortalium inveniatur: qvi non vehementiùs honeſtarum actionum encomio delectetur: aut ſaltèm ſe occultè tangi & titillari ſentiat. Eſtq́ hæc virtutis genuina & propria affectio: ut occultari, vel poſt mortem neqveat; neq marcorem & mucorem adeò contrahere: qvin miro qvodam robore, & facultate latente, animos hominum ad ſui amorem & ardorem rapiat & alliciat.

Virtutum avtem nobiliſsima & præſtantiſsima eſt Pietas & dilectio DEI; neq ſolum nuda virtus: ſed fons & origo reliqva-

reliqvarum omnium: immò felicitatis humanæ & veræ beatitudinis cavſſa; qvæ qvò ceteris eſt excellentior: eò majorem lavdem meretur, ſuiq́; cultores commendat, evehitq́; ſublimius.

Ejus cùm in totâ vitâ beatiſſimus & ſempiternâ memoriâ dignus Princeps, FRIDERICVS II. Rex Daniæ & Norvvegiæ fuerit ſtudioſiſſimus; nemo, qvem tangit pietas jure mihi ſuccenſet: qvod pietatem incredibilem, & verè Regium in propagandâ & tuendâ incorruptæ relligionis doctrinâ, ſtudium tanti Regis, brevi oratione commendandum cenſeam; qvæ ad methodum Socraticam, (qvam initio commemoravi) tota conformabitur. Neq; enim doloris ob amiſſum Regem concepti, minuendi molliendiq́; commodior ratio inveniri poteſt: neq; via expeditior, pietatis erga parentem patriæ dulciſſimæ teſtandæ.

Eam orationem, cùm craſtinâ die (qvâ cum lacrumis, & ingenti animorum commotione, funeris beatiſſimi Regis ex-

ſeqvias

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

ſeqvias relligioſè proſeqvitur patria) in Auditorio magno recitare, munere Magnif. Dn. Rectoris, & Senatus Academici mihi ſit conceſſum; obnixè & humanitèr verè pietatis & virtutis ſtudioſos omnes rogatos volo: ut ad ſonitum primæ horæ pomeridianæ, freqventes ad audiendum conveniant: ſuaq́ue præſentiâ amorem erga afflictiſſimam gentem teſtatum faciant; & ex animo ſe Eccleſiæ vicem dolere oſtendant: qvæ, proh dolor, tàm fideli nutritore & parente, immaturè nimis orbata eſt; ſinguliq́ue ſecum cogitent: pios, juxta Apoſtoli præceptum decere, χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων. *Vale.*

Iſaac Gronbeccius.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 688 8°copy 1